quantum ad Ditmari Chronicon attinet, quod jam publicandum typis curavimus, omnino id ab aliis, quibus in censendo plus ingenii, plus industriæ, suppetisset, editum mallem. Verum cum ad hoc appulerit animum hactenus nemo, succedere in partes eas mihi libuit, ne *autoris, profecto diligentis, & cognitu dignissimi*, desideraretur lectio diutius. Quibus autem ea res mihi vigiliis constiterit, qui in exemplari, quod nacti essemus depravatissimum, aliquo modo restituendo, exantlandi labores, quæ afferenda diligentia fuerit, haud libet persequi operosius. Hoc satis perspicio, neque adeo celatum esse à quoquam potest, ad incommoda omnia tollenda, futuram viam expeditissimam fuisse, si autoris αὐτόγραφον, quod adhuc supereſſe, *Brotuſius* in *annalibus* suis *Merſepurgenſibus* meminit, haberi potuisset. Sed cum in eo hactenus frustra laborarim, restat id scilicet, in hoc tantisper ut acquiescamus, quoad nostro aliquis excitatus exemplo, vel αὐτόγραφον, vel aliud hoc nostro correctius ἀπόγραφον proferat. Ac ne sua & merita quis laude parte hac per nos fraudetur, scire istud universos volumus, deberi prolatum à nobis exemplum *bibliothecæ illustriss. Electoris Saxon. AVGVSTI*, Principis clementiss. & patroni horum studiorum benigniss. sicque prodire, ut cum in editione conjungere operam mecum ejusdem illustriss. Electoris rescripto jussus esset *Petrus Albinus Nivemont.* Professor acad. Viteberg. publicus, patriæque historiæ studiosiss. ac peritissimus, inprimis autem summæ necessitudinis usu atque officiis mihi conjunctiss. provinciam illam ultro concesserit. Porro autem ut ne auctorem ipsum præteriisse reticentia & oblivione videamur, quæ de eo dicenda fuerint, pòst expositione peculiari complectemur, unde repeti omnia voluimus. *Argumentum* historiæ ipsius est *de Imperatorum Saxonicorum quinque rebus gestis*, implicatis, quod postea monebimus, de aliarum gentium Regibus atque Principibus expositionibus, quæ ad idem tempus pertinerent. Qua parte etsi diversorum elaborasse industriam constat, *Ditmaro* tamen & fidem & auctoritatem majorem conciliat, quod pleraque non audita sed visa, & quorum ipse pars fuerit, referat. Sane ut hoc concedamus, quædam illum omisisse, quædam etiam indisertius explicasse, ita hoc,